



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**FRANCISCI|| XAVERII EPISTOLA-||RVM LIBRI|| QVATVOR||**

**Francisco <de Javier>**

**Mogvntiæ, 1600**

**VD16 J 197**

P. Gaspari Rectori Coll. Goani.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43721**

fecteris, sed morales potius, ac salutares. Dabisque operam, ut ea quæ dices dicentis pietate, submissione animi, modestia commendentur. Publica peccata publice, occulta ac priuata priuatim reprehendes. Sic enim tibi persuadeas velim, pluris esse exiguum fructum, sine cuiusquæ offensione, quam permagnum cum offensione multorum. Hoc ego eò ad te scribo, quod quanti tandem id referat, plane intelligo. Quæ præcepta isthuc Gaspar Belga secum attulit, ea tu quoq; accurate seruabis. Quod ad te præterea scribã, in præsentia nihil est. Deus nobiscum maneat, nosque secum quamprimum iungat in cœlo. Amē. XI. Kal. Aprilis M. D. LII. Goa.

*P. Gassari Reçtori Collegij Goani.  
Epist. IV.*

**C**OCINVM Dei beneficio appulimus incolumes; Sociosque omnes saluos, ac valentes offendimus. Hic mihi redditę litteræ sunt ab iis, qui in Comorino Promontorio, & in oppido Colano Christianæ rei causa versantur, quibus significant se multis vel corporum, vel animorum incommodis vrgeri. Subuenias eis per Deum, quibuscunq; rebus potes. Obiit in Promontorio Comorino P. Paulus Valles vir egregia virtute. Hêricus Henriques vnus omnino reliquus est. Proinde Socium illi adiuges, itemq; Cosmo Turria-

Turriano, qui relictus est in Iaponia solus. Ac si fieri poterit, eidem aliquid subsidij per Socium mittes. Quippe illis in locis propter gētis tenuitatem, vel maxime rerum omniū laborant inopia. Vtrique autem eorum alterum ex sacris calicibus, quos tibi reliquos feci, perferendum curabis. Neq; enim illi habent plus vno. Mando tibi plane, vt istius Collegij æs alienum dissoluas quam primū, nam suum cuique persoluendum est. Quod in hoc genere effeceris, facies vt sciam. In exigendis autem Collegij vectigalibus noli esse remissior quam par est. Hinc enim fit, vt inopia premantur absentes, & Christiana officia permulta impediuntur, aut certe retardentur.

Iterum mando tibi, ne quemquam nisi idoneum, & domi forisque vtilem adscribas in Societatem. Proinde qui apti non sunt, his caue Societatem oneres. Cæteros fac diligenter excolas, maxime vero eos qui externis negociis implicantur, veluti obsonatores, & alios eiusmodi. Curabis igitur vt sine alicuius offensione viuant, & res sibi creditas fideliter tractent.

Si quos arrogantiores esse animaduertaris, hos vero exercebis in humilibus officiis & abiectis: ac pedem efferre domo, quoad eius fieri poterit, vetabis. Præcipue vero appositis meditationibus ad Christianam re-

R uoca-

uocabis humilitatē, si ne sic quidē ad sanītatē redeant; Societatem inutili onere leuabis. Præstat enim paucos esse Socios, ac frugi, quā multos & nequā. Absentes omnes Socios de cōcordia cū omnibus, maxime vero cū Episcopi Vicariis, & Præfectis oppidorū tuenda, per litteras identidē cōmonebis. Præceptorū, quę tibi reliqui, eis exempla mittes, atq; illud denuntiabis, si qui moderatoribus suis minus dicto audientes fuerint, serius aut citius nostra Societate carituros. Idque illis aperte ac totidē verbis, quibus ego v̄sus sum, denuntiabis; vt melius posthac suis quisque rationibus consulat. Bazainum ad P. Melchiorē scribes, vt Texeram Socium atque adiutorem habeat apud se. Deus mihi, tibiq; ac cæteris sanctitatem impertiat. Amen. VIII. Kal. April. MDLII. Cocino.

*Balthasari Gago Bazainum. Epist. V.*

**S**VMMOPERE te oro, quæsoque, vt pro tua erga Christum caritate, ac studio diuinæ gloriæ, vbique Christi bonus odor esse studeas: teq; exemplum omnium virtutum ciuitati proponas. Omnino autem caueas, ne qua in re animos hominum offendas. Id consequeris si moderatio in te, & Christiana enitebit humilitas. Itaque initio in humilibus officiis te & abiectis exercebis sedulo. Ciues vtique hac ratione conciliati, quicquid